



5364

1647

15 ell.
604

DISPUTATIO
De
LEGITIMIS BELLI CAUSIS,

Quam
Adpirante
Divini Numinis gratiâ,
Favente

Amplissimâ Facultate Philosophicâ,
PRÆSIDE,

Viro Clarissimo, Excellentissimo

DN. FRIDERICO BECMANO,

Phil. Mag. Log. & Metaph. Prof. Extr. Publ.
Præcept. ac Prom. honorando,

publicæ doctorum disquisitioni sub-
mittit

LUCAS ZEEBES,
Mega-Tschirnens Sil.

Ad diem XXIV. Jul. horis antemeridianis,
In
Acroaterio Philosophorum majori.
Anno M DC XLVII.

Francofurti
Typis NICOLAI KOCHII,
Academ. Typograph.

2 1/2

30.



VIRIS

Nobilissimis, Sereniss, Amplissimis, Consulcissimis,

DN. ALEXANDRO à SZOSSCH/

Hereditario in Groß-Tschirna / Sulcka / Elgott /
Kurscha / Newsorge / &c.

DN. CASPARO à SZOSSCH/

Hereditario in Nieder-Tschirna / Wechelwitz /
Steiden / &c.

DN. PAULO HALLMANNNO.

ab & in Strachwitz / Illustrissimi ac Celsissimi Princi-
pis Ligio-Bregensis, summi per utramq; Silesiam
Pro-Regis

Consiliario gravissimo.

Nec non

Admodum, Reverendis, Clarissimis

VIRIS,

DN. MATTHÆO ARNHOLDO,

Pastori Mega-Tschirnensi meritissimo.

DN. M. DAVIDI FABRO,

Diacono ad D. Elisabethæ, quod est Vratislaviæ, vigi-
lantissimo.

DN. ELIÆ KAPLERO,

Pastori, in agro Grambschützensi, fidelissimo.

Deniq;

DN. LUCÆ JELTSCHIO,

Notario apud Mega-Tschirnenfes, emerito.

*Dn. Mecœnatibus, Evergetis, Propatri, Consobrino,
Adfni, Patri, humillimo, observantissimoq; animi cul-
tu atatem debenerandis*

*In debitam gratitudinis notam pro beneficiorum
acceptorum oblatione promptissima*

Academicas hasce primitias submissè offeri & dedicat

LUCAS Jeltsch
A. & R.

Supremo omnis belli Directore
Deo Ter. Opt. Max.

605

Cum hactenus in Germaniâ nostrâ, per aliquam multos annos tot commissis præliis plurimi, è multis oris hic qui confluxere, conflixerint; imò omnes propemodum hoc in universo anguli bello percrepent, ipsi etiam vix ab uberibus matrum venientes pueruli & verba conantes non nisi triste belli nomen balbutiant: Ecquis nobis vertat vitio, de bello jam non nihil si protulerimus?

I I. *M. apud Tullium quidem 2. de Orator. legimus, Hannibalem Carthagine expulsam, Phormionem Peripateticum (de Stoico videtur dicere Johan. Stobæus serm. L. 1.) quòd homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio & de omni re militari locutus erat, maximè delirum judicasse senem: Quia verò hoc & aliorum, aut idem fermè sentientium, aut in scholis de bello & militiâ tractandum esse negantium tam simpliciter & per omnia probari minimè potest judicium; quæstione, an in scholis de bello tractare conveniat, missâ, Aristarchi filios ad J. Lipsium lib. 5. Pol. c. 1. hac de quæstione uberius tractantem remittimus, & legi, quæ Athenis erat pervetus, ab illustri Viro, Antonio de Guevara in Horolog. Princip. libr. 2. cap. 31. n. 356. adductæ: Senatui bellum suscipere fas ne utiquam esto, nisi justum injustumvè sit, prius à Philosophis ponderetur: plus tribuentes de bello & quidem hac vice de legitimis ejus causis potissimum agemus.*

III Bellum ex naturâ suâ illicitum esse ideoq; Moschen, Jehoschuham David & alios, bella qui gesserunt, impietatis accusasse Manichæos, refert Aurelius Augustinus, Episcopus Hipponens. Tom. 4. lib. 22. contra Faustum Manichæum cap. 47. & seqq. & ex eo Robertus Bellarminus Loyolita Cardinalis Tom. 2. Controv. secund. lib. 3. cap. 14 de Laicis p. 235. Contra hos hisq; accedentes, quòd nonnunquam bellare liceat, seu quòd belligerare non semper necessariam cum naturâ rationali ac sociali habeat repugnantiam, vel quòd non semper sit peccatum cum Thoma Aquinate summ. 2. 2. quæst. 40.

A 2

art. 1.

art. 1. Hugone Grotio de Jure Belli ac Pacis lib. 1. cap. 2. Jo-
hanne Gerhardo Tom. 6. Theol. Loc. de Magistr. Polit. sect 6.
membr. 3. Petro Martyre Vermiliens. Loc. Comm. Th. Bartho-
lomaio Keckermanno Syst. Syst. Curs. Philos. sententiam hanc
latius explicantibus ac confirmantibus, aliis statuimus. Sta-
tuent, qui dictos legere, legent aut cum Cicerone 5. de fin.
bon & mal. fatentur, quod, simul atq; natum est animal,
ipsum sibi concilietur & commendetur ad se conservandum
atq; suum statum & ad ea, quæ conservantia ejus status dili-
genda: alienetur verò ab interitu iisq; rebus, quæ interitum
videntur afferre. Hinc inquit Galenus lib. de usu partium:
hominem animal esse ad pacem bellumq; natum, cui arma
quidem agnata non sint, sed apta armis parandis & tractan-
dis manus. Et Aristoteles 4. animal. cap. 10. manum homini
esse ait pro hastâ, pro ense, & pro armis quibuslibet. Plu-
ra huc facientia videantur in Jul. Cas. Scalig. Comment. ad
hosce libros.

IV. Quia igitur aliquod bellum est licitum, videbimus,
eui id liceat indicere. Cum, qui superiorem habet, si ab ali-
quo injurias accipiat, possit ad superiorem confugere atq;
ab eo judicium petere; Princeps verò, si ab aliis Principibus
aliquid patiat, non habeat superius aliquod tribunal, coram
quo illos aceuset, & jus gladii adeptus sit: secundum commu-
nem sententiam in omnibus Principibus & populis, qui sum-
mam habent potestatem & in hisce terris superiorem agno-
scunt nullum, præter Deum & ensen ut, loqui amant, qua-
les sunt Principes Thom. Aq. 2. 2. quest. 40. art. 1. seu persona
publicæ non imperfectè sed perfectè Reipublicæ vices gerentes,
explicante Thoma de Vio Cajetano comment. ad dictum Th.
Aq. locum. vel summi, Dominic. Arum. Dscurs. Acad. ad aure-
am Bull 6. cap. 16. residet indicendi belli autoritas. Scitè Au-
gustin. lib. 22. contra Faust. c. 75. ordo ille naturalis mortalium
paci accomodatùs hoc p. scit, ut suscipiendi belli autoritas atq;
consilium penes Principem sit.

V. Requiritur, inquit Guilielmus Amefius de Conf. &
ejus jure lib. 5. c. 33. autoritas justa, talis autem quoad bellum
aggres-

aggressivum, non est, nisi penes Rempublicam perfectam, qua non dependet ab alia superiore nec recurrit ad illam, sed sibi ad omnia est sufficiens & integra in omnibus, qua pertinent ad debitam gubernationem. Bellum enim aggressivum est supremus actus justitiae vindicativa, qualis actus illi soli convenit, qui est iudex supremus, & non habet superiorem ad quem recurrat, & per quem exigat debitam satisfactionem. Hæc Amelius: sive ille iudex seu Magistratus sit Monarchicus, sive Aristocraticus sive Democraticus. Quamvis etiam Tacitus non imbellem tantum & imparem, & laboribus sexum vocet femininum; sed etiam, si licentia adsit, sævum & ambitiosum, & Aristoteles dicat, Pol. c. 5. Fœminam parere debere: tamen ad fœminas quoque imperii fastes gerentes, jus belli indicendi pertinet quia hoc ad jus Majestatis pertinet. Gerb. Tom. 6. Loc. Th.

VI. Cum verò dictum sit bellum geri non debere nisi eo auctore, qui summam habeat potestatem, & potestas illa, definiente Hugone Grotio lib. 1. de jure bell. ac pac. cap. 3. sit, ejus actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint reddi: hujusmodi an potestatem modernus habeat Imperator non immeritò ambigitur. Christ. Uebenthal exerc. 14. Th. 10. hanc ei tribuit, & paulò post sub finem ejusdem Theseos ex Heig. lib. 1. quæst. 12. n. 29. limitat. In Constitutionibus autem Imperii expressè cautum est, ne Imperator bellum suscipiat sine consensu ac permisso Electorum: quod pactum ut eò firmitus servet, juramento insuper edito confirmare tenetur, de quo in capitulationis formulâ apud Scleid. lib. 1. Heig. lib. 1. illustr. quæst. 18. Wendel. Pol. lib. 2. cap. 30. Schönb. Pol. lib. 5. cap. 8.

VII. Ast, si maximè summo liceat Magistratui bella indicare, licebit ne Magistratui Christiano? Negant Anabaptistæ, ut refert Philippus Melancthon in Loc. Comm. de Magistr. negat. Socin. in libr. quòd Evangelici sociniani se adjungere debeant c. 3. Ostorod. Inst. Germ. cap. 27. num. 4. & seqq. Schmalz. contro. 6. Diss. D. Franc. de reb. civil. horum vestigia premit Weigelius in postill. in explic. Dom. Evangel. XXII. post Trin. p. 329. quorum verba vide apud Job. Gerb.

Tom. 6. Loc. Theol. Quidam etiam ex Pontificiis ut Bellarm. de Laicis lib. 3. citat Erasmus ad cap. 3. & 27. Luc. Cornelium Agrippam in lib. de vanitate scientiarum cap. 29. Johannem Ferum lib. 4. Commentar. in Matth. exponentem cap. 26. Nos facile cum Henrico à Diest. Enchirid. Tb. Loc. 12. affirmare & propugnare possemus, ne verò videamur fallacem in Theologorum messem missuri; hanc quæstionem decidendam atq; defendendam linquimus Theologis, & eos, quibus volupe est hac de re legere, ad Ames. de jure consc. lib. 5. cap. 33. quæst. 1. Petr. Martyr. Loc. Comm. Marc. Frider. Wendel. Theol. Christ. lib. 1. cap. 29. Pol. lib. 2. cap. 37. Johan. Gerhard. Tom. 6. loc. Theolog. Johann. Scarpium Curs. Theol. Tom. 2. Ludovicum Crocium Antisoc. Contract. disp. 25. Bellarm. de Laicis lib. 3. cap. 14. Thom. Aquinatem 2. 2. art. 40. quæst. 1. & alios hanc controversiam enucleantes remittimus.

VIII. Juliâ tenetur Majestatis, qui injussu Principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit l. 3. ff. ad Leg. Jul. Majest. quod congruit cum sententia Platonis, qui suis in legibus lib. 12. præcipit: si quis privatim, sine publico scitu pacem bellumve fecerit, capitale esto, Neq; injuriâ à legatis suis accusatus fuit Cn. Manlius, quòd Pop. Rom. injussu bellum Gallo Græcis intulisset. Ergò ne planè inferiori Magistratui & subditis omne jus belligerandi negatur? Licet sanè inferiori Magistratui bellum gerere, si scilicet summi Magistratus consensum habuerit, si res ita comparata sit, ut præsentissimum immineat periculum, nec ulteriorem moram absq; imperii incommodo patiatur, superioris autem copia haberi non possit. Nam necessitas pro lege habetur & satius est in tempore occurrere, quàm post vulneratam causam remedium quærere l. ult. C. in quib. caus. in integr. restitut. non est concess. Hoc jure usus L. Pinarius præsidio Ennæ in Sicilia Præfectus, cum certò sciret oppidanos ad Carthaginenses defectionem moliri, cæde in eos factâ, Ennam retinuit Liv. lib. 34. & maximè profectò is in imperium delinqueret, cui, cum certissimam cladem parari vide-

videret, hanc tamen ab illo, si præsertim posset, non averteret. Quin imò eo quoque casu inferioribus Magistratibus, non expectato Principis sui Jussu, arma sumere licebit, si fortean aliquis eorum injuriam ab hostibus passus, Imperatori quidem significaverit, ille verò moratoriâ & delusoriâ procrastinatione læsum circumduxerit: quia tunc Imperator officium suum, quod in defendendis subditis præcipuè consistit, temerè negligere videtur: quo neglecto non immeritò contra hostium violentiam subditi sese rectè defendent.

I X. Eo namque casu expressum Magistratus supremi mandatum non requiritur, sed sufficit quandoque tacitum. Quemadmodum enim qui ita opprimitur à latrone, Magistratus auxilium ut implorare non possit, ille jam non est amplius privatus, ipsum enim tacitum Magistratus mandatum eum armat, non enim vult ut pereat civis sine causâ legitimâ: ita quoque si urbs aliqua subito ab hoste obsideatur & oppugnetur ac periculum sit, si Principis voluntas prius exploretur; licet omninò subditis adversus hostem sese pro virili defendere. Itaque *Hostiensis* rectè ait: bella esse injusta, quæ non suscipiantur aut non mandante aut tacite approbante Magistratu. Immò *Biel. 4. sen. dist. 15. quest. 4.* distinguit inter auctoritatem Juris ac judicis atque alter utram earum ad bellum suscipiendum sufficere dicit. Ubi enim jus humanum, vel naturale vel divinum arma capere jubent, ibi juris auctoritas intervenit, si vel maximè Principis voluntas expressa non accedat.

X. Quod si etiam distinctio inter Principes potestatis limitata & pactis inter ipsos & proceres regni initis circumscripta, & inter Principes majestatis integræ & potestatis absolutæ, qui absolutum in subditos imperium obtinent, nec tenentur certis quibusdam pactis vel legibus regni fundamentalibus ex propriâ promissione obstricti, quæ habetur in *Gerhard. Tom. 6.* & respondet distinctioni, quæ inter subditos meros & mixtos, aliquid valet: subditi, qui non merè & absolute sunt subditi, sed partem potestatis in electione summi capi-

capitis sibi reservarunt, etiam, invito Principe limitatæ potestatis & defensivum, & vindicativum, sufficientibus injuriis lacesciti possunt gerere.

XI. Hactenus Qvi: jam quibus de causis in Martium campum justè descendere possimus, considerandum venit. Bellum nonnisi ob causam justam suscipiendum sapienter monet Octavianus Cæsar, & celebre est *San. Paulini Comitæ* dictum à *Dinotho*: *qui vincere cupit DEum æquitate causa, & belli à se suscepti in suis partibus habere studeat.* Et sanè magnam vim ad victoriam obtinendam, legitimam bel-landi causam conferre, constat ex illo *Propertii* 4. *Eleg. 6.*

Frangit & atollit vires in milite causa,

Qua nisi justa subest excutit arma pudor.

Herod. lib. 1. injusta bella tristes & funestos habere solent exitus. Sicut enim Magistratus non potest contra quosvis privatos arbitrio gladium stringere, sed accedere oportet grave quoddam delictum capitali supplicio dignum: ita Magistratus non habet potestatem contra quosvis bellum indicendi, sed accedere oportet justam, legitimam ac sufficientem causam, ne illud crimen incurrat, quod toties in psalmis cum detestatione memoratur: *persequuntur me sine causâ.*

XII. Justa autem belli vindicativi causa non est injuria nobis vel nostris illata quælibet levis aut parva; sed magna *Bellarm. lib. de Laic. 3. cap. 15.* & quoniam bellum multans homines gravissimis pœnis, est gravissima & atrocissima plaga, atq; adeò non inferenda nisi pro injuriâ gravi & atroci vel in sese, vel in eo quod inde consequitur *Ames. de jur. 95. lib. 5. cap. 33. quest. 2.* Neq; dubia & ambigua, sed certa & manifesta & benè perspecta; Etenim, ut Judex peccat morti adjudicando eum ob quodvis delictum, aut ejus causa nondum satis est discussa & examinata: sic peccat Magistratus bellum indicens, quando causa adhuc est dubia aut insufficientis. Bellum namq; est actus justitiæ Punitivæ & summus gradus vindictæ publicæ.

XIII. Au-

XIII. Autor igitur belli, cum vices gerat iudicis gravissimâ in re & Judex teneatur diligentiam adhibere omnem, in causis examinandis, ad sententiam ex iudicio recto ferendam: tenetur certè tum ipse, tum cum aliis prudentioribus atq; piis, quàm diligentissimè, an injuriæ illatæ sint causæ sufficientes justæ belli suscipiendi, examinare. Post diligentem causæ examinationem, si ea adhuc satis dubia maneat: sententiam justitiæ vindicativæ ferre & exequi, non tantùm esset temerarium & nefas; sed temerè quoq; se & alios gravissimis exponet periculis tam peccandi, quàm poenas ferendi. Quid? quòd ne gravis quidem & atrox injuria manifesta justam præbet belli causam, nisi post alia omnia media pacis tentata, quibus pacificè petendo ab hostibus debitam satisfactionem exegimus. *Deut. 20. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem &c. Augustin. epist. 207. ad Bonifacium: Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. Hinc Terent. in Eunuch. act. 4. scen. prius, omnia experiri verbis quàm armis sapientem decet. Unde Mardonius, apud Herodotum Polymniâ, Græcos culpatur, quòd hoc non observaverint, dum dicit: hos enim oportuit, cum ejusdem essent lingua, Caduceatorum & legatorum operâ, non præliis, controversias tractare. Hinc Ezechias, pius Rex non dubitavit conflare ornamenta templi, ut redimeret necessitatem pugnandi: sed cum nihil promoveret, confugit ad preces & auxilium petiit à Domino.*

XIV. Neq; ideò dicendum, hominis esse ignavi ac degeneris ad hujusmodi conditiones devenire. Imò potius ea est vera animi magnitudo. Cicero, cum Cæsarem vehementer laudare vellet, dixit, cum nihil oblivisci solere, nisi injurias. Et *Augustinus hoc inquit, dixit vel verus laudator vel magnus adulator. Quod si verum non erat, tamen ostendit, qualem eum esse oporteret.* Medici non urunt non secant, nisi cum totum corpus quodammodò videatur periclitari. Condonandæ itaq; injuriæ, quantum licet. Non autem semper licet. Unde duas potissimum easdemq; præcipuas causarum Classes pleriq; ferè constituunt Politici, nimirum Defensoriam & Vindicatorem. Videantur *Hug. Grot. lib. 2. c. 1. Lips. lib. 5. c. 4.*

B

Keker-

*Kerckermann, syst. pol. lib. 1. cap. 29. Reinking, lib. 2. class. 2. cap. 2.
Zueber, al. exerc. Pol. 14. Thes. 14.*

XV. Est autem causa Defensoria, de qua primum agemus, quando Magistratus vim, ab hostibus Reipublicæ sibi suisq; illatâ, vi repellit. Quæ Defensio respicit primum subditos, vel ob regionem, vel ob religionem, oppressos, adversus quorum oppressores, quin legitimum bellum moveri possit, nullatenus dubitandum est, quia hoc fit ob gloriam Dei conservandam, cujus causâ omnes in hanc lucem editi sumus. Quin imò ad officium Magistratus pertinet, ut Christianam Religionem & Ecclesiam defendat, adversus cujus hostes, cum tali incidente casu sese armaverit, justè fecisse existimandus erit: quale bellum & ipsæ sacræ Literæ approbant, ut videre est *Maccab. 1. v. 34.* De quæstione, si Princeps ipse oppugnetur per se, an, se armatâ manu tueri debeat, videatur *Petrus Martyr. Loc. Theol. 16.*

XVI. Neq; pro Fœderatis bellum susceptum illegitimum pronuntiabitur, quia, ut intentatam vim ab iis amoliamur, intemerata fidei sanctitas, quam cum iis, in mutuis ferendis auxiliis pacti sumus, exigit, quæ etiam sine maximo impietatis crimine violari nequit. Confœderatio duorum unum quasi Corpus constituit, quoad defensionem & mutua auxilia inquit *Alber. Gentil. lib. 3. de jure Bell. cap. 18.* Quod si unum corpus, utiq; non aliter hostes alterius atq; proprii persequendi sunt. Id quod Romanos sanctè observasse legimus, qui confœderatos non aliter ac proprios cives ab omni hostili impetu immunes conservârunt. Tandem Amicos etiam & quoslibet Christianos populos ab injuriâ sumtis armis legitimè defendemus. Id quod etiam Abrahamus fecit, qui ad liberandum Lothum è peregrinorum Regum manibus vernas suos armasse legitur *Genes. 14.* & qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuria; tam est in vitio, quam si Parentes, aut patriam, aut socios deserat, inquit *Cic. l. 1. off.* Rectè autem hic additur, si potest: nam ut in superioribus quæstionibus ita in hac quoq; semper id præsupponendû est, si id fieri possit

It, sine maximo nostro damno. Nam cum incommo-
 nostro aliis succurrere nemo consultum duxerit. Unde ita
 interpretandum illud *Seneca Less. lib. 11. cap. 4. dub. 15. succur-*
ram perituro, sed ut ipse non peream.

XVII. Cautè tamen agendum, ne in quovis defensionis
 casu arma expediamus; sed accuratè omnes circumstantiæ
 sunt examinandæ tum in propriâ & alienâ defensione. In
 propriâ adversus Magistratum culpâ nostrâ offensum defensi-
 onem parare non licet sed culpam potius humili subjectione
 deprecari. Si maximè extra culpam sumus, tamen contra
 superiorem Magistratum ad arma nequaquam temerè profili-
 amus, sed modis omnibus ipsius animum exulceratum pla-
 care studeamus. Subditi contra Tyrannos rectius se defen-
 dunt scuto quàm gladio, hoc est rectius declinant injurias. Si
 declinare nequeunt relicta ipsis gloria patientiæ & obsequii,
 quo mitigari solent imperia. Videatur tamen hac de re *Bar-*
clai. in lib. contra Monarchomachos, Alber. Gentil. in lib. de vi
in Princip. semper justa, Cuner. libr. de offic. Princ. inviolabili.
Arnis. lib. de autorit. Princ. in Popul. Stephan. Jun. Vindicia
contra Tyrannos. & tract. de jure Magistrat. in subditos, Allsted. En-
cyclop.

XVIII. Deinde quoque ne adversus eos quidem, qui justis la-
 cessiti injuriis bellum nobis inferunt, ad arma properemus:
 sed primùm omnium satisfactionem offeramus & controver-
 sum negotium delectis quibusdam arbitris componendum nos
 commissuros promittamus. Quod si oblatam conditionem
 hostis acceptare noluerit, tum demum defensionis bellicæ locus
 est relictus. Si Tyrannus devastaturus esset urbem, nisi illi tra-
 datur innocens aliquis; Ille innocens tenetur jure naturali pro
 totius Reipublicæ salute se morti offerre, & Respublica potest
 eum neque retinere, neque defendere, sed urgere eum ut officii
 suum hac in parte præstet, inquit *Ames. de jure conscientie*
lib. 5. cap. 31.

XIX. Ex his quid in alienâ faciendum, videre est, & quid
 respondendum ad quæstionem, an quibusvis fidem nostram

implorantibus suppetiæ sint ferendæ? Injustè si illos oppres-
sos esse constet & vires nobis suppetant, fœdera aut causa
alia minimè impediunt: auxilium ipsis ferendum, non ambigi-
mus. Et tantùm de primâ eademq; justâ bellandi causâ, ni-
mirum defensoriâ, sequitur altera, quæ vindicatoria.

XX. Est autem Vindicatoria Causa, cum bellum susci-
pitur ad vindicandam illatam injuriam. Hæc causa, quòd
sit justissima, constat, quòd jure nititur divino. Difertè enim
Apostolus dicit *Rom. 13* Magistratus quòd gerat gladium ad
vindictam. Quod cum ita sit, meritò quilibet bonus Princeps,
aut potestatem habens Magistratus quivis res & bona suis ab
hoste erepta vindicare poterit. Quod David etiam fecit,
qui Hamalekitas civitatem Tzielak deprædâtes persecutus est,
1. Sam. 30. Quin & jure omnium gentium permissum, res su-
as ab hostibus vi occupatas repetere. Politica inter reliqua
delicta, propter quæ bella gerenda, inveniuntur complura; no-
minatim Legatorum & pactorum violatorum delictum, pu-
blicorum flagitiorum neglecta vindicatio & cum hostibus con-
junctio. An vero propter negatum exercitus transitum bel-
lum instituendum aut propter alimenta necessaria negata, aut
ob imminentem vim, videatur *Reinkingk. L. 2. c. 3. cap. 2. & Gerb.
Loc. Theol. Tom. 6. de Magist. Pol. Sect. 6. membr. 3.* A seditiosis
verò; exemptis de facto cum *Theod. Reinking l. 2. c. 3. cap. 2.* Et
contumacibus cum *Amando Polano à Polansdorff*, statuimus,
vindicta quòd possit sumi.

XXI. Quamvis etiam non facilè determinari possit, quot
sint belli vindicativi causæ, propter varias circumstantias atq;
casus: tamen semper cautè procedendum, nec ob quamvis
vindictam bella statim movenda. Si enim injuriæ sunt levi-
ores, quæ absq; publicæ salutis & autoritatis detrimento con-
donari possunt, præstat remittere pœnam, aut si offensio à
persona una vel altera proficiscatur, propter illam toti regio-
ni non statim bellum inferendum, ne innocentes alienam
luere culpam cogantur. Aut si quispiam iudicio se respon-
surum promiserit arma sistenda, quemadmodum Archida-
mus

mus ex Thucydide consuluisse scribitur. Sed quid tūm, si hostis nolit initio satisfacere, postea tamen, Bello jam inchoato, pacem petat & satisfactionem offerat, alternē tenetur à bello cessare? vide *Thomam de Vio Cajenarum, Bellarminum lib. de Laicis, Gerhardum Tom 6.* Quod si verò hostis coerceri nequeat, nisi persundatis multis subditis innocentibus, iniqua potius ferenda, quàm bella inferenda sunt. Ita Sodomam Deus non evertisset, si vel decem in ea iusti fuissent reperti *Gen. 18. vers. 12.*

XXII. Cū etiam Princeps vel Magistratus non sit Judex, nisi hominum sibi subditorum, non poterit quacungq; peccata aliorum hominum punire, sed solum ea, quæ cedunt in detrimentum suorum. Nam etsi non est Judex aliorum Ordinarius, est tamen defensor suorum & ratione hujus necessitatis efficitur quodammodo judex eorum, qui suis injuriam intulerunt, ita, ut possit eos gladio punire *Bellarmin. de Laicis c. 115.* Quid igitur de iis armis dicemus, quæ inferuntur populis aliquibus eam ob causam, quòd illi Christianam religionem amplecti nolint? Constat quæ crudelitate Hispani Americanos, à quibus nunquam læsi, de quæ *Ludov. Granatens. Bartholom. de la Casa, Lips. Acoſta & Wilhelm Princeps Auraiicus in Apol. legendi, tractarint.* Hujusmodi autem bella esse justa, nisi speciale accedat Dei mandatum, tantum abest, ut dicamus, ut potius prorsus negativam tueamur. Vide hac de quæst. *diff. Gerb. Tom. 6. Th. loc. p. 1195. Hug. Grot. p. 247. Vasquium Illustr. contr. p. 66. n. 5. Stebentha Th. 15. Th. Reink. p. 474.*

XXIII. Hinc illi errant, qui adversus Turcicum Imperatorem propter solam impietatem, & contra infideles, qui in Deos, quos putant, impii sunt, ut quidem existimat *Hug. Grot. lib. 2. cap. 20.* aut propter peccatum contra naturam, commissum barbaris indicendum bellum putant. Illi verò, qui ob regnandi cupiditatem, nocendi crudelitatem & id genus alia bellant, justâ se tueri causâ neutiquam possunt. Nec est, quoq; quispiam nobis objiciat titulum illum Imperatorum, quo semper Augusti appellantur. Ita enim, si ab au-

gendo dicti, augeant, ut ne ex quavis causâ, sed ex justâ imperium amplificent, quæ si desit, nefas esto contra omne jus in arma ruere. Et quoniam hæcenus de causis belli impulsivis disseruimus, edoceri fortè quispiam à nobis cupiet, quanam sit causa hodierni belli, cujus furor adhuc omnia deperdit. Cujus rei avidissimum Lectorem ad historiam illam remittimus quæ de Pacto Bohemorum cum Imperatore olim Augustissimo & laudatissimo Matthiâ agit, unde satis superq; originem miserrimi nostri status cognoscet. *Quæde re habet Emanuel Metternus vol. 2. lib. 35. de Anno 1618. p. 710. cui accedit Böhemische Deduction.*

XXIV. Porro, subditis aut cuivis mortalium, sine culpâ præcedente non potest poena justè infligi, Par ratio de bello. Is itaq; , adversus quem licet bellum gerere non est nisi hostis sive externus sive intestinus, qui atrocis offensionis autor fuit, quiq; non nisi per manifesti belli vim coerceri & puniri potest. Hi soli directè & ex proposito debent puniri secundum rationem justitiæ vindicativæ. Innocentes quidem præter intentionem & per accidens possunt lædi: ut in justâ urbis expugnatione aut navis, in qua sunt varii innocentes; in justâ exspoliatione bonorum, quibus hostis aliquo modo ad bellum armatur; injuria autem provenit eis à nocentibus, in quorum sunt potestate, à quibus etiam restitutio ipsis debetur. Semper tamen æquitas exigit, ut bellum exerceatur cum innocentum damno, quàm minimo fieri possit. Quapropter non potest adeo defendi, ut ulla civitas militibus detur in prædam, pro militum libitu, diripienda; quia inter plurima alia horrenda, quæ inde sequuntur, in tali direptione nullum omninò discrimen statuitur inter nocentes & innocentes.

XXV. Inter nocentes uti numerari non possunt infantes aut fæminæ, aut pacifici, quia dissentientes coguntur inter hostes manere: ita quoq; non tam bellum justum quàm latrocinium est, quo intenditur innoxiorum agricolarum & similibus oppressio. Et uti non quivis innocens, pro libitu, lædendus; ita nec quivis nocentes sunt lædendi, nisi necessarium sit ad
justum

justum belli finem consequendum, id est, vel ad obtinendam justam compensationem rei ablatae, vel ad injuriam vindicandam, vel ad pacem stabilendam.

XXVI. Hisce praesuppositis, auctoritate & jussu superioris instructi, seu auctorati milites possunt optimo jure jussum superioris exequi. Neque obstat, quod sint mercenarii, contra quos tamen, disputat *Petrus Martyr Loc. Class. 4. cap. 16. num. 13.* At illi milites mercenarii, qui haut certi sunt de belli justitia, aut de eadem dubitant, qui animas habent venales & parati sunt ad quodeunque bellum suscipiendum, unde majora stipendia possint expectare: Sceleratam agunt vitam nec excusari possunt. De subditis vero de justa causa dubitantibus aliter videtur sentiendum.

XXVII. Quæri solet: An subditi obligentur Magistratui ad quodvis bellum illos vocanti R. Si causa belli manifeste injusta, non obligantur ad obedientiam, per Regulam Apostolicam Act. 5. v. 29. Oportet DEO magis obedire, quam hominibus; sed ad poenam. Si vero causa post examen appareat injusta aut dubia, subditos observare debere vulgatam Regulam: tene certum, relinque incertum, & certum esse, subditos debere obedire Magistratui manifeste impia non præcipienti, statuunt *Ames. de jure consc. lib. 5. cap. 33. quest. 3. num. 3. Gerhard. Tom. 6. Loc. Th. de Magistr. Pol. p. 1186. Bellarm. de Laic. l. 3. cap. 15. quest. 539.* alii plurimi communiter. Nos, salvo meliori Judicio, nec subditum nec mercenarium militem debere obedientiam Magistratui præcipienti, ut bellum, etiam justè motum, exerceat, de cujus tamen justitia dubitet, statuimus, rationibus id probantibus non destituti, quarum una est, quod peccata perpetranda mandanti obediendum non sit; qui vero dubitet de aliquo faciendo, an rectè an minus rectè factum, si faciat, sit, peccet. Quemadmodum nec Princeps legitime belligerare potest si causæ adhuc est dubia Justitia: ita nec milites, quicumque tandem sint, actum illum justitiæ dubii exercere possunt. Interim tamen si causæ est justa; militi subdito vocato verò videatur injusta, sedulo da-

lō dabunt operam, ut iustitiæ causam exponant ei, & expositā causā legitimā & remoto scrupulo miles jam certus de iusto tenetur Magistratui ipsum vocanti obedire, Mercenarius verō eligat.

XXVIII. Ut bellum sit legitimum præterea requiritur legitimus belligerandi modus, in quo tam generalis illa Regula est observanda, ne quicquam fiat adversus legem naturæ, sed ut sit proportio inter delictum & pœnam; quàm specialis, ne quicquam inferatur aliis mali, quod non sit accomodatam ac necessarium ad iustum finem belli consequendum; neve receptum jus gentium violetur. Etenim, si Judex delinquentem non capitali pœnâ dignum, afficeret capitali: proportio inter delictum & pœnam modum excederet, & sic iniquè ageret Judex. Delicta quidem sunt punienda sed pro ratione delictorum. Pœna inferenda, non verō quidvis quavis pœna dignum est. Delictum est mensura pœnæ. Crescere etiam debent pœnæ, crescentibus delictis: Tamen ita crescant, ut species non mutetur, hoc est, ut non fiat ex non capitali, capitalis, & ex capitali non capitalis *Wend. Th. lib. 2. c. 4.* ita crescant, uti crescunt delicta.

XXIX. Sanè jus gentium si inviolabile & indictio belli ad id pertinet, de quo videatur *Alex. ab Alexand. lib. 5. genial. dier. cap. 3. Gell. l. 16. noct. Attic. cap. 4. Livius lib. 1. decad. 1. p. 16. Barnab. Briffon. lib. 4. form. Gerhard. Tom. 6. pag. 1203. Bocer. de jure Bell. lib. 1. cap. 3. Halic. lib. 2. Plut. problem. 62. Fenestell. cap. 9. de Sacerdot.* qui, haut indicto bello & nunciato, hostem clam, eo inscio & incauto, invadunt, erunt foedifragi & iniqui belligeratores. Indictio illa dicitur aliàs Clarigatio cujus etymon exponit *Taubmannus in amph. Plut. act. 1. scen. 1.* cujusmodi & ritus passim leguntur varii, Carthagenenses Romanos petitori bello hastam miserunt Romanam *Cæl. Rhodig. lib. 21. antiq. lect. cap. 16.* Idipsum Romanos quoq; observasse cum bellum indicerent Latinis testatur *Livius lib. 1.* Hodie plerumq; Clarigatio fit duobus modis. Primus est quando Feccialis, (q. Facialis, apud hunc enim belli,

belli, pacisq; faciendæ jus erat, qv̄i pater patratuſ dicitur
Schönborn Pol. lib. 6. cap. 10. Teutonicè etn *Heerold* 1) à Prin-
 cipe mittitur ad bellum hosti denunciandum, atq; fruitur
 jure Legati neq; violari qvit: alter modus est, quando lite-
 ræ Clarigationis Germ. *Seind-oder Absage-Brieff*, per pue-
 rum mittuntur. Quæ requisita illarum sint *vid. apud Sleid.*
lib. 17. pag. 420. § 25. p. 637.

XXX. Paucis ut dicamus, ita bella sunt gerenda, ut ne
 exulet pietas, algeat probitas, ne exuant militantes homi-
 nem cum justitiâ. Nulli quidem dubitamus in bello justo uti
 licere auxilio bestiarum, ut Elephantum, eqvorum &c. An verò
 licitum sit, uti auxilio hominum bestialium, vel an Christiano
 liceat in bello justo vocare in auxilium milites infideles, non
 nemo possit dubitare. Hoc dubium dubitantibus eximant
 Theologi, qvorum est metas Christiano positas dijudicare. Vi-
 deatur tamen *Ames. de jur. Consc. lib. 5. cap. 33. p. 335.* *Scar-*
pius Tom 2. Curs. Theol. p. 248. Huc etiam faciunt, quæ ha-
 bentur *in Stebenshal Exerc. 14. qvæst. 6. in Theod. Reink. lib. 2.*
Class. 2. cap. 3. Arum. discurs. 6. ad Aur. Bull. Th. 7. p. 258.

XXXI. Sed an insidiæ & Strategemata militaria sint li-
 cita in bello justo qværitur? R. Insidias & Strategemata
 militaria Deus ipse autor Justitiæ approbavit, mandato & e-
 xemplis. Sed si pro Strategematis mendacia velint arripere,
 & fidem vel illicitè dare, vel licitè datam non servare, sem-
 per erit illicitum. Licet verò non tantum consilia & proposi-
 ta occultare, sed etiam signis aut factis qvibusdam præ te fer-
 re intentionem hanc aut illam, quam non habes. Quamvis
 enim directè significare verbis, quod falsum est, mendacium
 sit improbandum, gestibus tamen aut factis qvibusdam tale
 quid indirectè significare, id est illud facere, ex quo veri simi-
 le est alium conclusurum, quod falsum est, hoc non est men-
 tiri: quia facta illa quæ neq; ex naturâ suâ neq; ex instituto,
 vel pacto certo significant hanc aut illam sententiam, non
 sunt ejusdem naturæ cum sermone, atq; adeò non habent

C

ratio

rationem mendacii, quamvis in significatione falsa à spectan-
tibus accipiantur, & illud etiam prævideatur, quæratuq;
*Ames. de jur. Consc. lib. 5. cap. 33. vide Schönborn. Pol. lib. 6.
cap. 27. Gerbard. Tom. 6. Loc. Tb. pag. 1207. Stebenthal
Exerc. pol. quest. 8. Wendelin. Pol. l. 2. cap. 44. tb. 4. explicat.
Amad. Pol. à Polansdorff Syntag. Theol. Lib. 10. 67. Kesker-
man. syst. syst. pag. 1411. Thom. Aquin. 2. 2. quest. 40. art. 3.*

XXXII. Tandem ad causam belli justam accedere de-
bet, Finis bonus & intentio bona, h. e. talis quâ spectetur
gloria Dei & quæ congruat belli justitiæ, i. e. ne ex affectu
vel odio sed ex zelo justitiæ bellum geratur. Nam in bello
injusto intentio prava auget & aggravat injustitiam ejus.
Cum enim injustitia causæ minuitur & quasi accusatur ali-
quando per ignorantiam invincibilem intentio prava facit, ut
ignorantia talis non habeat vim causæ excusantis. Et hoc
verum non tantum de intentione pravâ & per se malâ; sed e-
tiam de levi & vanâ, qualis est virium ostentatio & similia.
Non itaq; quæquam debent impellere hæc, sed bellum sem-
per tendat ab æquam pacem & tranquillitatem tanquam ad
suum Finem. Quam etiam Deus omnis pacis Autor & Con-
servator hisce quoq; deploratis temporum fatis, omnium
Regum & Principum mentibus indat, ut de Pace cogi-
tent, de Pace loquantur, de eadem restituendâ, ac restitutâ
publicandâ, sua consilia instituant omnia. Satis enim hacte-
nus vidimus, imò cum dolore nostro vidimus, quàm crude-
liter truculentissimi Martis gladius in Christianorum viscera
& sanguinem desævierit, quo jam planè ebrius fatiscit. E-
ripe nos, ô Deus, ex his edecumanis tempestatum fluctibus,
nobisq; exoptatissimum Serenitatis sidus exoriri patiaris. Sic

Te laudabimus, sic Te celebrabimus in nunquam ter-
minandas seculorum myriadas.

23(9)50

Præ-

Ad politicissimum
Dn. Respondentem.

Praclari esse velit dotes quas consiliari
Exposuit nuper JELTSCHIUS, & placuit;
Nunc belli, heu nunquam belli, quæ causæ ge-
rendi

Sit justa inqvirens disputat atq; refert.
Laudo hos conatus: tandem ð post tristia bella
Consiliis rectis pax quoq; justa redi!
Consiliis ratio sic veris, præmia justa
Non deerunt studiis, JELTSCHI adamande,
Tuis.

l. m. q; scribò
FRIDERICUS REICHELIIUS D.
& Prof. Publ.

Ecquis erit suavor belli, cum belligerator
Apfidem teneat, circumeunte rotâ
Fortunæ variam variæ? dum JELTSCHIUS offert
Belli de causis dogmata legitimis;
Comprobo. Nam præstat bellū Artis Marte gerendum
Arte illâ cœpto Martis, honore, modo.

f.
PRÆSES.

Bellum esse bellum, plurimus negat Scriptor,
Bellum sed est, Amice, quod paras Bellum

dictis

dictis tueri publicè. Id placet menti
horum, Themis quorum & Minerva cor rexit,
querumq; mellis rigavit os blanda
Peitho fluentis; Milites id instigat
ad pulchra quosvis, Militumq; Ductores,
justiq; causas optimè docet Belli.
O sic iniquo Bello Epitaphium condas!
Quod si Genethliacon nova canes Paci,
quantum dabis Patria Bonum, Tibi Nomen!

ABRAHAM Lindner /
Gloga-Sil.



ULB Halle 3
003 499 200




SK

Vb 17







1647, 1

15 ell.
604

DISPUTATIO
De
LEGITIMIS BELLI CAUSIS,

Quam
Adpirante
Divini Numinis gratiâ,
Favente

Amplissimâ Facultate Philosophicâ,
P R Æ S I D E,

Viro Clarissimo, Excellentissimo

ON. FRIDERICO BECMANO,

Phil. Mag. Log. & Metaph. Prof. Extr. Publ.
Præcept. ac Prom. honorando,

publicæ doctorum disquisitioni sub-
mittit

LUCAS ZEEZSCH,
Mega-Tschirnens Sil.

Ad diem XXIV. Jul. horis antemeridianis

In
Acroaterio Philosophorum majori.
Anno M DC XLVII.

Frankofurti
Typis NICOLAI KOCHII,
Academ. Typograph.

2 1/2

30.

